

quaedam placatio ex fabulae ipsius exitu fiat, si poëta talem depinxerit nobis virum, quem vel intereuntem victorem quasi discedentem videre, adamare, admirari debeamus, tum vero fore crediderim, ut exoriatur talis animi conditio, qualem efficere Aristoteles poëtam vere tragicum voluerit.

Pars altera.

Cum Bernaysius⁸¹⁾ quam dedit catharsis tragicæ interpretationem singulis poëtarum tragicorum fabulis exponendis non illustravit, ipse emmendationem viri praeclarissimi supplebo, ut altera hac parte Euripidis fabulas cum Aristotelis definitione tragoediae comparem.

Non autem ut Wartenburgius⁸²⁾ fabula aliqua singulas in partes divisa vim ac naturam catharsis tragicæ exponam, sed ex catharsis ipsius natura, quam satis iam a nobis definitam esse confido, Euripidis poëtae virtutes aut vitia ostendere ac demonstrare conabor. Quum enim veram affectuum catharsin non tam ex naturali ut ita dicam voluptate, quam praebebat affectuum excitatorum relaxatio atque remissio, fieri viderimus, quam ex fabulae totius compositione, quae est arte ingenioque poëtae tragici parata, quaerere nos, quibusnam in Euripidis tragoediis eiusmodi fiat aut fieri possit catharsis affectuum, haud inutile esse duxerim. Euripides autem is est poëta, quem Aristoteles ipse omnium tragicorum maxime esse tragicum dicit.⁸³⁾ Recte ille quidem: neque enim

⁸¹⁾ „Grundzüge“ etc. p. 171 ss.; conf. Hub. Reinkensi „Aristoteles über Kunst“ etc. p. 130.

⁸²⁾ „Die Katharsis des Aristoteles und der Oedipus Coloneus des Sophokles“ von Paul Graf Yorck von Wartenburg. Berlin, Verlag von Wilhelm Hertz, 1866.

⁸³⁾ a. p. 1453 a 28; conf. sis quae scripsit Ant. Widemannus „das Euripideische Drama und dessen Einfluss auf die dramatische Literatur der späteren

Aeschylus neque Sophocles in tragoediis suis tam enixe operam dederunt ciendis affectibus metus ac misericordiae in spectantium animis, quam Euripidem in suis fabulis fecisse videmus. Hue accedit, quod istum poëtam artis rhetoricae tam esse peritum constat quam qui maxime (83. b.) eamque in fabulis suis omnibus plus fere aequo adhibuisse: ipsa autem arte rhetorica hominum affectus maxime ciuntur neque quidquam aliud Aristoteles, ut iam supra diximus,⁸⁴⁾ toto rhetorices libro secundo disserit nisi quem ad modum orator maxime ciere possit affectus irae et metus et misericordiae. Quae cum ita sint, operae pretium esse duco quaerere, quatenam fabulae ab eo poëta doctae praecipue sint idoneae ad efficiendam talem affectuum catharsin qualem nos tragoedia recte composita effici oportere diximus.

„Necesse est,“ inquit Aristoteles,⁸⁵⁾ „fabulam bene compositam, verti non in felicitatem ex infelicitate, sed contra, ex felicitate in infelicitatem.“ Quae verba si de Euripidis fabularum compositione et exitu iudicium facientes sequemur, ante ceteras tractandae sunt fabulae Hippolytus, Medea, Phoenissae, Bacchae.

De fabulis autem ceteris — Hercule furenti, Iphigenia Aulidensi, Hecuba, Electra, Andromacha, Heraclidis, Supplicibus, Troasin, Iphigenia denique Taurica et Ione et Helena et Oreste, postea, quoad ad nostram quaestionem pertinent, disserere instituemus. Eas enim omnes diligentius inspectas et ad praecepta quae Aristoteles dedit poëtae tragico relatas aut parum aut prorsus nihil ad efficiendam veram catharsin tragicam valere ostendere conabimur.

In Hippolyto, quem vocant coronifero, talem habemus personam qualem Aristoteles in scaenam producere iubet⁸⁶⁾ poëtam

Zeit;“ ad Solemn. annivers. Gymnasii Ratisbonensis I., a. 1874, II., a. 1875, Straubingensis III., a. 1877; (83. b.) „Commentatio de Euripide rhetorum discipulo,“ scrips. M. Lechner, Ansbachi 1875.

⁸⁴⁾ Conf. §. 5, p. 17.

⁸⁵⁾ a. p. 1453 a 12: ἀνάγκη ἄρα τὸν καλῶς ἔχοντα μῦθον ἀπλοῦν εἶναι μᾶλλον ἢ διπλοῦν, ὥσπερ τινὲς φασιν, καὶ μεταβάλλειν οὐκ εἰς εὐτυχίαν ἐκ δυστυχίας ἀλλὰ τοῦναντίον ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν.“

⁸⁶⁾ a. p. 1453 a 12: „ἀνάγκη ἄρα τὸν καλῶς ἔχοντα μῦθον . . .

tragicum. Hippolytus est iuvenis certe praestantissimus; attamen uno levissimo laborat vitio, nempe numinis deorum hominumque potentissimi fastidio.⁸⁷⁾ Ut in „Bacchis“ Pentheus, sic in hac fabula Hippolytus ob nimiam sui fiduciam superiorumque alicuius negligentiam opprimitur et in perniciem praecipitatur. Atque dea, quam adulescens ille castissimus colere aspernatur, ea est, quae summis malis afficiat homines, quare non est cur Hippolyti, Pitthei discipuli,⁸⁸⁾ miseriarum nos non vehementissime misereat. Iam enim in prologo deam illam audimus pronuntiantem, se huic adulescenti gaudia sua nocturna repudianti interitum esse paraturam. Quas propter minas iam in ipso fabulae initio metu quodam numinis divini potentiae atque irae afficiamur necesse est et quo propius abesse spectamus virum strenuum ab extrema necessitate, eo magis commiserari nos eum oportet. Leto enim⁸⁹⁾ brevi extinguetur adulescens, cuius vitam ac mores iam adamare didicimus.

„Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum.“⁹⁰⁾

Quocirca metuemus adulescenti miserrimo; qui affectus ne nimius fiat,⁹¹⁾ Euripides in fine tragoediae lacrimas quoque profundendi itaque doloris quasi nimio onere nos liberandi facit potestatem. Hippolytus enim morte iamiam adpropinquante saevisque cruciatibus defessus patri suo doloris vi paene subacto (ipse enim nimis irae ac furoris subiti impetum secutus filio parabat interitum) manum porrigit oculisque iam caligine obductis

„Ω χαῖρε,“ inquit, „χαῖρε πολλά μοι πάτερ!“

Qualem igitur in Hippolyto coronifero fieri opinemur catharsin tragicam? Excitantur quidem in ea fabula affectus misericordiae et metus ex miseriis periculisque hominis nostri simillimi — vel

μεταβάλλειν ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν, μὴ διὰ μοχθηρίαν ἀλλὰ δι' ἀμαρτίαν μεγάλην, ἣν οὔου εἴρηται, ἢ βελτίονος μᾶλλον ἢ χείρονος.“

⁸⁷⁾ Conf. Prolog. et v. 106: „Οὐδείς μ' ἀρέσκει νυκτὶ θανάστος θεῶν!“ (Edit. Eurip. Fab. Guhl. Dindorfi.)

⁸⁸⁾ vers. 11.

⁸⁹⁾ Ethic. ad Nicom. III, 9: „φοβερώτατον δ' ὁ θάνατος.“

⁹⁰⁾ Hor. carm. IV, 7.

⁹¹⁾ Conf. adnot. 51, p. 13.

certe cuius ut similes fiamus vehementer nos cupere debeamus — adolescentis nostra in eum bona voluntate dignissimi; relaxantur autem simulque cum relaxatione etiam purgationis cuiusdam, non tam natura quam poëtae arte et ingenio effectae, participes fiunt ii affectus exitu ipso illius tragoediae, qui quamvis sit calamitosus, tamen non patitur nimia nos affici sollicitudine⁹²⁾ atque nimio maerore quique nos sinit cum dolore patris destituti acerbissimo, cum voce filii iamiam exspirantis novissima miscere lacrimas et admirationis et desiderii.

Medea fabula tota pertinet ad genus atrox sive terribile⁹³⁾ ita comparatum, ut spectatores non iam metuant, sed horrore⁹⁴⁾ quo-

⁹²⁾ Conf. Dr. Rud. Schreiberi „der Hippolyt des Euripides nach Anlage, Idee und Entwicklung.“ Ad Solemnia anniversaria Gymn. Ansbachensis, Ansbachi 1854. p. 22: „Und nun — nachdem sowohl die Entsühnung des scheinbar Schuldbeladenen, als auch die Versöhnung der unselig Zerspaltenen geschehen; nachdem Hippolyt vor aller Augen unwiderleglich erwiesen ist als reiner, edler Diener der Artemis, der nur in seiner Ausschlüsslichkeit zu weit gegangen, und Theseus als ein liebender Gatte und Vater, der nur in seiner Aufwallung zu weit gegangen . . . , jetzt können sie beruhigt von einander scheiden, jetzt kann der sterbende Sohn dem doppelt gebeugten Vater jeden Stachel der Schuld nehmen, indem er bei der pfeilgewaltigen Artemis schwört, dass er sterbe ohne jeglichen Groll.“

⁹³⁾ a. p. 1453 b 14: „ποῖα οὖν δεινὰ ἢ ποῖα οὐκ ἐκφραίνεται τῶν συμπιπτόντων, λάβωμεν. ἀνάγκη δὲ ἢ φίλων εἶναι πρὸς ἀλλήλους τὰς τοιαύτας πράξεις ἢ ἐχθρῶν ἢ μηδετέρων. ἂν μὲν οὖν ἐχθρὸς ἐχθρὸν ἀποκτείνῃ, οὐδὲν ἐλεεινὸν οὔτε ποιῶν οὔτε μέλλων δείκνυσιν, πλὴν κατ' αὐτὸ τὸ πάθος· οὐδ' ἂν μηδετέρως ἔχοντες· ὅταν δ' ἐν ταῖς φιλίας ἐγγένηται τὰ πάθη, οἷον εἰ ἀδελφὸς ἀδελφὸν ἢ υἱὸς πατέρα ἢ μήτηρ υἱὸν ἢ υἱὸς μητέρα ἀποκτείνει ἢ μέλλει ἢ τι ἄλλο τοιοῦτον δοῦναι, ταῦτα ζητητέον.“

⁹⁴⁾ Baumgartius verbum „φρίττειν“ negat differre apud Aristotēlem a verbo φοβεῖσθαι. (annal. Philol. vol. 111 — 1875 — p. 85 ss.) Verbum sane φρίττειν in libro de a. p. uno nobis occurrit loco (1453 b 5); sed ex aliis locis ut 812 b 30 „οἱ ἔκφοβοι γιγνώμενοι φρίσσουν“, 560 b 8 „ὁ χυθείσαι ὄρνιθες φρίττουσε καὶ ἀποσπνόνται“ (conf. Probl. 886 b 9 et 888 a 38) satis apparet, verbum „φρίττειν“ significare apud philosophum certe maiorem gradum metus, cum res aliqua atrox nobis versetur ob oculos ita, ut corporis quoque sensus excitentur (nos: „ein Schauer durch-

dam perfundantur. Medea autem femina est nostri quam dissimillima: venefica est, fratricida, sceleribus polluta foedissimis. Feminae autem ita moratae commiserationem excitare perdifficile esse opinor.⁹⁵⁾ Quam ob rem Euripides misericordiam commovere studet non Medae, sed puerulorum eius innocentium a matre crudelissime trucidatorum; innocentibus autem interitum parari secundum Aristotelem ne „φιάνθρωπον“ quidem est, sed „μιαρόν.“ Quum igitur Medae iram effervescentem, furorem mulieris et rabiem cum anxietate quadam, ne in nimiam prorumpat stragem atque perniciem prosequamur, Jasonis vero perfidia et nequitia⁹⁶⁾ magnopere detestanda videatur, liberos innocentissimos morti saevissimae destinatos commiserari, eorum fortunae, periculo extremo iamiam adpropinquante metumimus, quin etiam ferro iis ad iugulum adacto, clamoribus eorum ad aures usque spectantium pervadentibus,⁹⁷⁾ manibus vero matris cruore natorum pollutis non iam metus insinuat praecordia nostra, sed horrore quodam perfundimur et

„tum vero tremefacta novus per pectora cunctis

Insinuat pavor.“⁹⁸⁾

Exitus tragoediae parum est antecedentibus partibus dignus;⁹⁹⁾

rieselt uns“), velut in Aeschylis „Eumenidis,“ — conf. in vita Aeschylis „τινὲς δὲ φασιν ἐν τῇ ἐπιδείξει τῶν Εὐμενίδων σποράδην εἰσαγαγόντα τὸν χορὸν τοσοῦτον ἐκπληξαι τὸν δῆμον, ὥς τὰ μὲν νήπια ἐκψῦξαι, τὰ δὲ ἔμβρυα ἐξαμβλωθῆναι“ — in Sophoclis Oedipode, quum is effossis luminibus in scenam proruit (conf. in Eurip. Hecuba Polymestorem, v. 1056 ss.), in Euripidis Bacchis, quum Agave caput adgerit filii thyrsu affixum, in Hercule furenti, quum subito furiae adparent Iris et Lyssa chorusque iam trepidans fugae sese frustra mandare conatur.

⁹⁵⁾ a. p. 1453 a 4: „ὁ μὲν γὰρ ἔλεος περὶ τὸν ἀνάξιόν ἐστι δυστυχοῦντα.“

⁹⁶⁾ Conf. Schoene, Proleg. ad Eurip. Med. p. XXIX: „Jason ist schwächlich und nichts weniger als heroisch gezeichnet. Er erscheint in den Motiven seines Handelns als ein gewöhnlicher Egoist, der von niedriger Selbstsucht geleitet doch in seinem Schuldbewusstsein zu schwach ist, um seine wahren Beweggründe sich selbst und Anderen einzugestehn.“

⁹⁷⁾ Med. v. 1271: „οἷμοι, τί δράσω; ποῖ φύγω μητρὸς χέρας;“

⁹⁸⁾ Vergil. Aen. II, 228.

⁹⁹⁾ a. p. 1454 a 37 „φανερὸν οὖν ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύ-

machina enim illa,¹⁰⁰⁾ qua Medea liberis suis innocentibus occisis curru avehitur draconibus alatis iuncto, subita fit rerum quae ante acciderant solutio, nulla arte adhibita neque cum prioribus fabulae actionibus ulla ratione coniuncta. „Multum enim“ inquit Aristoteles,¹⁰¹⁾ „interest, utrum haec propter haec fiant an post haec.“ Quapropter etiam catharsis affectuum ea fabula excitatorum non talis fieri potest, quae vere componat eademque emendet exitu ipso affectus excitatos. Relaxantur tantum ac remittuntur affectus natura ipsa sua — quivis enim affectus utpote animi motus relaxationis atque compositionis fit particeps; — at nos ut iam supra diximus poëtae tragici esse putamus, non modo excitare affectus excitatosque componendos naturae quasi officio soli committere, sed sua ipsius arte, suo ipsius munere una cum natura efficere affectuum compositionem eandemque emendationem sive purificationem.

Phoenissas fabulam haud scio an Aristoteles minus quam ceteri artis iudices probaturus fuerit. Philosophus enim tunc deum tragoediam affirmat fore recte compositam, cum singulae eius partes ita inter sese cohaereant, ut, si quis velit demere unam, tota dissolvatur fabula.¹⁰²⁾ Qua lege si uti voluerimus in hac fabula, ex versibus ΜΙΟCCLXVI haud pauci tollendi sunt. Etenim — non dicam „περὶ τῆς Ἀντιγόνης τειχοσκοπίας,“¹⁰³⁾ —

θων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν, καὶ μὴ ὥσπερ ἐν Μηδείᾳ ἀπὸ μηχανῆς.“

¹⁰⁰⁾ Conf. Herm. Schraderi: „Zur Würdigung des deus ex machina der griech. Tragödie,“ Mus. Rhenanum, vol. XXII, p. 544 ss. et XXIII, p. 103 ss.

¹⁰¹⁾ a. p. 1452a 20: „διαφέρει γὰρ πολὺ τὸ γίνεσθαι τὰδε διὰ τὰδε ἢ μετὰ τὰδε.“

¹⁰²⁾ a. p. 1451a 30: „χορὴ οὖν, καθάπερ καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις μιμητικαῖς ἢ μία μίμησις ἐνός ἐστιν, οὕτω καὶ τὸν μῦθον, ἐπεὶ πράξεως μίμησις ἐστι, μιᾶς τε εἶναι καὶ ταύτης ὅλης καὶ τὰ μέρη συνεστάναι τῶν πραγμάτων οὕτως, ὥστε μετατιθεμένου τινὸς μέρους ἢ ἀφαιρουμένου διαφέρεισθαι καὶ κινεῖσθαι τὸ ὅλον· ὃ γὰρ προσὸν ἢ μὴ προσὸν μηδὲν ποιεῖ ἐπίδηλον, οὐδὲ μόριον τοῦ ὅλου ἐστίν.“

¹⁰³⁾ v. 8 — v. 201. conf. argumenti auctor.: „ἤτε ἀπὸ τῶν τειχέων Ἀντιγόνη θεωροῦσα μέρος οὐκ ἔστι δράματος.“

altercatio ista, quae est Tiresiae cum Creonte et Menoeceo, tota episodum est,¹⁰⁴⁾ quod cum fabulae ipsius argumento parum cohaereat, quod vitium ab Aristotele perstringitur.¹⁰⁵⁾ Quodsi ipsum fabulae spectaverimus argumentum, perbreve hoc esse videbimus: fratres duo de regno inter se certantes et ad arma concurrentes alter alterum obtruncant. Quare mors illa voluntaria¹⁰⁶⁾ Menoecei adulescentis, qua Thebis patriae palmam condonet victoriae, per se ipsam tragoediae est argumentum, quod nihil adfert momenti ad fabulae ipsius solutionem; namque etiam Eteoclem, cuius saluti sese devovet Moenoeceus, occumbere est fatum.

Quod ad affectum ipsam pertinet concitationem, Euripides certe in hac fabula multum consumpsit laboris eos ciendi.¹⁰⁷⁾ Sin autem quaerimus, quibusnam causis Phoenissae inter ceteras — Hippolyto excepto — emineant tragoedias, non tam vim istam misericordiae sive metus commovendi videbimus esse praecipuam — nam in aliis quoque fabulis, velut in Hecuba, Andromache, Troasi poëta quam maxumam studet ciere misericordiam — quam viam et rationem affectus commovendi iterumque componendi, qua reddat poëta fabulam suam revera tragicam atque efficientem catharsin affectuum. Non enim sicut in Medea et eis quas postea tractabimus fabulis affectus misericordiae, tantisper etiam metus, cientur tantum neque fit iis ulla exitu ipso tragoediae relaxatio et purgatio — Medea enim draconibus in aërem nobis subrepta parum credo nos placatos reddere valet, sed aegritudine quadam et ira de nimia matris in liberos innocentissimos saevitia affici nos oportet, — sed fabulae ipsius finis et exitus talem nobis excitat affectuum levationem, qualis fiat necesse est ad vere efficiendam catharsin tragicam. Quamvis autem Iocasten matrem poëta gaudio summo

¹⁰⁴⁾ v. 834 — 1018.

¹⁰⁵⁾ a. p. 1451 b 33: „... ἀγωνίσματα γὰρ ποιοῦντες καὶ παρὰ τὴν δύναμιν παρατείναντες μῦθον, πολλάκις διαστρέφειν ἀναγκάζονται τὸ ἐφεξῆς.“

¹⁰⁶⁾ Conf. Iphig. Aulid. et Macariam in Heraclidis: Confer sis etiam quae scripsit auctor in „Blätter für das bayer. Gymnasialwesen,“ vol. XVI, p. 403 ss. (1880.)

¹⁰⁷⁾ Vid. Aristophanis Byzantini argumentum v. 13 (apud Nauckium): „Περιπαθεῖς ἄγαν αἱ Φοίνισσαι τῇ τραγωδίᾳ.“ (ἡ τραγωδία?)

facit exsultantem,¹⁰⁸⁾ tamen in omni laetitia dolore quodam afficimur, qui nos in amplexu et osculis matris et filii satiare quasi oculos in iisque acquiescere non patitur. Quae quidem gaudia brevissimo temporis spatio in luctum ac lacrimas conversum iri non ignoramus.¹⁰⁹⁾ Quodsi talibus affectibus agitamus in illis personis, in Eteoclem contra non tam amore aut misericordia aut metu, quam fastidio et ira et odio effervescemus;¹¹⁰⁾ videmus enim ex hominis sceleratissima regnandi cupiditate emanare omnem quae post secutura sit stragem; quare chorus quoque Eteoclis oratione nimis arguta habita ira incensus talia iactat:¹¹¹⁾

„Οὐκ εἶ λέγειν χρεὶ μὴ 'πὶ τοῖς ἔργοις καλοῖς,
οὐ γὰρ καλὸν τοῦτ', ἀλλὰ τῇ δικῇ πικρόν.“

Euripides autem quum affectibus misericordiae et metus medicocriter commovet animos inter primum actum, secundum, tertium, in quarto et quinto¹¹²⁾ maxime fit tragicus. Poëta enim — sicut etiam in Hippolyto — reddit nos versantes inter spem modo, modo inter metum, quod quidem perfectissimae munus esse videtur traegodiae.¹¹³⁾ Nam Iocaste, certior facta pugnam atrocissimam bene

¹⁰⁸⁾ Vid. v. 312: „τί φῶ σε; πῶς ἅπαντα
καὶ χερσὶ καὶ λόγοισι
πολυέλικτον ἄδονα
ἔκλεισε καὶ τὸ δεῦρο
περιχορεύουσα τέρψιν παλαιᾶν λάβω χαρ-
μονᾶν.“

¹⁰⁹⁾ Conf. chori verba, vers. 256 ss.

¹¹⁰⁾ Aliter de hac re sentit Ed. Muellerus in „annal. philol.“ vol. 101, p. 401 (1870): „... obwohl ich unter den uns erhaltenen antiken Tragödien keine wüsste, die einen Unwillen in uns zu erregen irgendwo und wie sich bemühte.“ (?)

¹¹¹⁾ v. 526.

¹¹²⁾ v. 1067 — 1766.

¹¹³⁾ Conf. Gust. Freytagi librum egregium „die Technik des Dramas“ (Lipsiae ap. S. Hirzelium, 1876) p. 117: „Wenn das Gewicht des unglücklichen Geschicks bereits lange und schwer auf einem Helden lastet, . . . ist es ein altes anspruchsloses Mittel des Dichters, dem Gemüt des Hörers für einige Momente Aussicht auf Erleichterung zu gönnen. Dies geschieht durch eine neue kleine Spannung, dadurch, dass ein leichtes Hindernis, eine entfernte Möglichkeit glücklicher Lösung der bereits angedeuteten Richtung auf das Ende noch in den Weg geworfen wird. . . . Die Anwendung dieses Kunstmittels ist alt, schon Sophokles benutzte dasselbe in der Antigone zu guter Wirkung. Kreon wird erweicht und widerruft den Todesbefehl über Antigone; ist mit ihr so verfahren, wie er befahl, so mag sie noch gerettet werden.“

cessisse, quoniam servatos audit filios ob eamque causam laetitiam summa affecta,¹¹⁴⁾ ex nuntio quodam paulo post filios ipsos ad mutuam interfectionem audit iam paraturos esse tela. Quapropter subito summa matris laetitia convertitur in summum dolorem metumque, ne, priusquam possit mater una cum filia certamini intervenire, filii manus conserant.¹¹⁵⁾ Ea credo condicio, ut ex uno fere temporis momento pendeat salus atque vita liberorum unice dilectorum, ut citato quasi gradu matris et filiae filii, fratres possint servari, ea inquam condicio vere est tragica, quod etiam chorus his exprimit verbis:¹¹⁶⁾

„αἰαῖ αἰαῖ ·

„τρομερὰν φρίκα τρομερὰν φρέν' ἔχω ·

διὰ σάρκα δ' ἑμὴν

ἔλεος ἔλεος ἔμολε ματέρος δειλαίας.“

Sequitur actus ultimus continens narrationem illam nuntii talem, qualem haud scio an nemo unquam poeta scitius expresserit.¹¹⁷⁾ Sero succurrit mater, sero succurrit filia, exitus est „ἔξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν;“ filiis enim iam imminent supremae necessitates oculisque iam tenebris circumfusi matris, sororis complexus accipiunt ultimos. En quidem habemus sicuti in Hippolyto relaxationem illam simulque purgationem affectuum, qualem efficere debeat perfectissima ob eamque rem pulcherrima tragoedia. Non enim excitati tantum affectus suapte natura remittuntur, sed perveniunt ad eam arte ipsa auctore atque adiutrice; quum enim inter totam fabulae actionem agitati simus variis affectibus, praecipue misericordia et metu, ii affectus in omnibus tamen miseriis exitu ipso tragoediae placantur et componuntur; fratres enim in vita sibi inimicissimos videmus eius simultatis sceleratissimae morte ipsa luere poenas; atqui iuvenes poeta non facit ex luce discedentes, quin ipsi, praesente iam extrema necessitate, sese fratres esse recordentur, quin et spiritus eorum supremi exorare enitantur veniam atque oblivionem.¹¹⁸⁾ Itaque iuvenes vel fato occumbentes

¹¹⁴⁾ v. 1086.

¹¹⁵⁾ v. 1263.

¹¹⁶⁾ v. 1283 ss.

¹¹⁷⁾ v. 1356 — 1479.

¹¹⁸⁾ Conf. v. 1437 ss.

relinquunt in nobis non tam nimiae misericordiae, quam admirationis cuiusdam affectum, mixtum cum dolore simul et desiderio, voluptatem illam tragicam, quam Stagiritis iubet parare poëtam tragicum.

Bacchas fabulam in praestantissimis quas unquam Euripides docuit fabulis a permultis artis indicibus numerari constat.¹¹⁹⁾ Quae fabula cum nobis una relicta sit ex magno numero fabularum Bacchicarum, quaerendum est, num poëta praeter metum ac commiserationem eum quoque affectum ciere conatus sit, quem poëtae illi Dithyrambici ut Lasus et Melanippides et Timotheus in audientium animis excitare studebant. Nunc autem in Bacchis habemus eiusmodi carminum exemplar, quod nobis unum ex magno talium poëtarum numero relictum est.¹²⁰⁾ Quis autem is affectus est? Animi illa alacritas,¹²¹⁾ quam dicit Aristoteles nomine „ἐνθουσιασμός.“¹²²⁾ Quid? Num aspectu illo mulierum furore Bacchico agitatarum, quum passis crinibus scissaque veste, tympanis tibiisque Phrygios Lydiosve resonantibus modos, saltantes ac decurrentes pulsarent orchestram hederisque capita serpentibusque ornatae thyrsosque vibrantes:

„ὦ ἦτε Βάχχαι, ὦ ἦτε Βάχχαι!“

vociferarentur „ἐν Θουρίαισι βοαῖς“ — num, inquam, spectatorum animos et ipsos incensos esse negemus? Quare praeter metum et misericordiam, quos quidem affectus in primis debet parare tra-

¹¹⁹⁾ Conf. A. G. Schlegel „De a. trag.“ I, p. 257: „Nächst dem Hippolytus würde ich unter den übriggebliebenen Werken des Euripides diesem die erste Stelle anweisen.“ Joh. Minckwitz „das Bacchenfest“, p. 8: „Dass dies Werk eins der besten des Euripides sei, darüber herrscht in der gelehrten Welt heutzutage vollkommene Übereinstimmung.“ Conf. etiam Polyaei strateg. VII, 41 ss. et Plut. vit. Crass. cap. 33 ss.

¹²⁰⁾ v. 64 — 165; conf. Rud. Nicolai: „Geschichte der griech. Literatur“, I, pag. 81.

¹²¹⁾ Conf. Ciceronis ad Q. fr. III, 6, 4: „opus est ad poëma quadam animi alacritate.“

¹²²⁾ Polit. VIII, 7 (1342a 4 ss.): „ὁ γὰρ περὶ ἐνίας συμβαίνει πάθος φυχὰς ἰσχυρῶς, τοῦτο ἐν πάσαις ὑπάρχει, τῷ δὲ ἥττον διαφέρει καὶ τῷ μᾶλλον, οἷον ἔλεος καὶ φόβος, ἐτι δ' ἐνθουσιασμός. καὶ γὰρ ὑπὸ ταύτης τῆς κινήσεως κατακώχμοι τινές εἰσιν.“

goedia, tertium hac fabula parari dico affectum, animi fervorem, quem uti iam supra diximus Stagirites appellat „ἐνθουσιασμόν.“ Cum Lessingio ergo iterum atque iterum dico, Aristotelem quum scriberet „περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν“ non modo ad metum et misericordiam exceptis omnibus ceteris animi affectibus spectasse, sed dixisse modo, illos duos affectus in primis commovendos esse per poëtam tragicum — est enim tragoedia „μίμησις πράξεως σπουδαίας,“ — posse autem fieri, ut alii quoque affectus velut ὁργή aut ἐνθουσιασμός eadem ratione et excitarentur et purgarentur qua metus et misericordia. Metum autem inicere animis poëta studuit numinis divini i. e. Liberi, qui iam in ipso prologo perniciem indicat, quam paraturus sit Pentheo, irrisori contumacissimo Iovis filii, qui totam per fabulam illudens regis Thebarum consilia atque mandata eumque a pertinacia et audacia ad furorem et perniciem praecipitans atque ruinam numinis laesi, maiestatis contemptae repetitum it poenas. Neque vero consilii tantum et ingenii praestantia deum superiorem esse homuncione licet agnoscere, sed portentis quoque ac miraculis, i. e. apparatu scenico apud poëtam, metum et verecundiam incutit mortalium animis Semeles atque Iovis progenies. Quod quidem fieri praecipue in episodio tertio videmus, cum Liber, Penthei domo collapsa passimque ignibus fuis choro tremefacto humique provoluto summam numinis divini verecundiam, inicit ac religionem.¹²³⁾ Maxime autem Euripides in fine ipso tragoediae affectus furoris et horroris et misericordiae excitare studet. Agave enim cum leaenae instar proruit in scaenam maximo exultans gaudio de praeda sua quam captarit catuli¹²⁴⁾ et cum caput filii

¹²³⁾ v. 576 — 607; praecipue v. 596:

„ἄ ἄ
πῦρ οὐ λεύσσεις οὐδ' ἀγάζεις
Σεμέλας ἱερὸν ἀμφὶ τάφον, ἄν
ποτε κεραυνόβολος ἔλιπε φλόγα
Δίου βροντᾶς;

HM. δίκετε πεδόσε δίκετε τρομερὰ
σώματα, μαινάδες.“

¹²⁴⁾ v. 1170: „φέρομεν ἐξ ὀρέων ἔλικα νεότομον ἐπὶ μέλαθρα,
μακαρίαν θήραν.“

sanguinolentum thyrsu suo affixum adgerit dirumque in modum in scia erroris sui ingentis id laetatur seque ipsa idcirco dicit beatam, — talis rei aspectus horrore quodam animos spectantium afficiat necesse est. Quem nimis molestum nobis affectum Euripides componere quasi postea studet excitanda misericordia; Agave enim prensando singulos corporis dilaniati artus ¹²⁵⁾ miserabili fletu animos spectantium reddit commiserantes, quod quidem secundum Aristotelem ¹²⁶⁾ vera tragoedia parum est dignum. Faciamus autem, ut isto modo vera misericordia sit excitata, non video, quem ad modum fieri possit eius affectus talis purgatio, qualem efficere debeat tragoedia ipsa sua compositione et exitu. Pentheus enim, cuius in actionibus tota nititur fabula, occidit quidem, sed non ita, ut eius hominis nos vehementer misereri debeat; suo enim iure oppressus est. Neque vero homo conscius sibi facinoris sui scelesti exstinguitur, sed vi modo superatur ac necessitate, non — sicuti in Hippolyto aut in Phoenissis — voluntaria tamquam morte luere ipse studet caecitatis suae poenas. Quamvis igitur Agave postea et Cadmus prorsus afflicti adorent numinis divini maiestatem, eae personae neque sunt in fabula primariae, neque rationem video, quam habeat gravissima in eos animadversio ad delicti naturam; neque enim Agave neque Cadmus ¹²⁷⁾ merito profligantur, sed caeco quodam dei furore pro alterius scelere in perniciem praecipitantur.

In Hercule furenti fabula sicut in Hippolyto, Medea, Bacchis homines rabie quadam et furore divinitus imisso interire videmus.

¹²⁵⁾ Conf. Rhet. gr. ed. Spengeli, p. 399, 16 ss.: „παρὰ τῷ Εὐριπίδῃ τοῦ Πενθέως ἡ μήτηρ, ἀπαλλαγεῖσα τῆς μανίας καὶ γνωρίσασα τὸν παῖδα διεσπασμένον, κατηγορεῖ μὲν ἑαυτῆς, ἔλεον δὲ κινεῖ.“

ibid. p. 401, 29 ss.: „ἐπιὼν τὰ τραύματα, τὸν τρόπον τῆς διαρέσεως τοῦτον τὸν τρόπον κέκίνηκεν Εὐριπίδης οἶκτον ἐπὶ τῷ Πενθεῖ . . . ἕκαστον γὰρ αὐτοῦ τῶν μελῶν ἡ μήτηρ ἐν ταῖς χερσὶ κρατοῦσα καθ' ἕκαστον αὐτῶν οἰκτίζειται.“

¹²⁶⁾ a. p. 1450 b 16: „ἡ δὲ ὄψις ψυχᾶγωγικὸν μὲν, ἀτεχνότατον δὲ καὶ ἥκιστα οἰκτεῖον τῆς ποιητικῆς.“

¹²⁷⁾ Conf. F. G. Schoene „Proleg. ad Bacch.“ p. 26: „Auffallend ist, dass auch Kadmos, der dem Gotte im Stücke sogar dient, verbannt wird.“

Qui furor cum in hac quam nunc inspecturi sumus fabula Herculem illum Iove progenerum prosternat miserimumque omnium reddat mortalium, quaerendum est, num iustas sceleris sui solvat poenas, num is, quem videmus incidere in summas miseras, in illis hominibus numerandus sit, quos Aristoteles aptissimos habeat tragodiae,¹²⁸⁾ qui nec virtute aliqua eximia nec nequitia ceteris praestare videantur; quos homines cum videmus calamitate subito oppressos, in nos utpote eorum similes misericordia insinuabit ac metus. Sin autem poeta nobis eas produxerit personas, quas aut virtute quadam praeclara insignes adamare et admirari aut vitio detestabili inquinatos fastidire et odisse debeamus, cum molestia nobis excitabitur et indignatio quaedam,¹²⁹⁾ tum animi satisfactione quadam et laetitia afficiemur.¹³⁰⁾

Sed qualem hominem poeta nobis producit Herculem? An hominem, qui neque virtute, neque vitio ceteris antecedit mortalibus? At Hercules est vir fortissimus atque dignissimus, quem admiremur, qui ascendens ex inferorum tenebris ad lucem suavissimam, qui revertens ad penates dulcissimos¹³¹⁾ patrem iam aetate confectum, uxorem natosque summa calamitate aspiciet afflicto, supplicio iam ipsi destinatos. Gaudio summo spectantium animos affici oportet, cum videant postea Lycum illum sceleratissimum poenas iustas luentem ob consilii sui nequitiam. Quare nos, cum brevi

¹²⁸⁾ a. p. 1453 a 7 ss.

¹²⁹⁾ a. p. 1452 b 34: „πρῶτον μὲν δῆλον ὅτι οὔτε τοὺς ἐπικεῖς ἀνδρας δεῖ μεταβάλλοντας φαίνεσθαι ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν (οὐ γὰρ φοβερόν οὐδὲ ἐλεεινὸν τοῦτο, ἀλλὰ μισθὸν ἔστιν)“ κτλ.

¹³⁰⁾ rhetor. II, 9 (1386 b 25): „φανερὸν δ' ὅτι ἀκολουθήσει καὶ τὰ ἐναντία πάθη τούτοις · ὁ μὲν γὰρ λυπούμενος ἐπὶ τοῖς ἀναξίως κακοπραγοῦσιν ἡσθήσεται ἢ ἄλγος ἔσται ἐπὶ τοῖς ἐναντίως κακοπραγοῦσιν · οἷον τοὺς πατραλοίας καὶ μισοφόνους, ὅταν τύχῃσι τιμωρίας, οὐδεὶς ἂν λυπηθεῖ χρηστός · δεῖ γὰρ χαίρειν ἐπὶ τοῖς τοιούτοις, ὡς δ' οὕτως καὶ ἐπὶ τοῖς ἐν πράττουσι κατ' ἀξίαν.“ Conf. a. p. 1453 a 2 ss.

¹³¹⁾ Conf. v. 523 ss.:

„ὦ χαῖρε, μέλαθρον πρόπυλά θ' ἔστις ἐμῆς,
ὡς ἄσμενός σε εἰσείδον ἐς φάος μολών.“

post conspiciamus Herculem ipsum, iuris et divini et humani nefarie polluti ultorem atque vindicem, humi prostratum, dolore vehementissimo exulceratum omnibusque rebus desperantem, nimio misericordiae affectu permovemur, quippe qui videamus virum admiratione nostra dignissimum plane immerito ob iram deae mariti amoribus offensae in summas praecipitatum miseras. Quae nimia misericordiae sive potius aegritudinis cuiusdam excitatio exitu fabulae ipso parum componitur; Hercules enim, quem vel Lyssa, nigra noctis filia, summis effert laudibus¹³²⁾ quemque invita modo¹³³⁾ Iunonis iussu imperiosae perditum it, — subito miseriis summis obruitur iisque fere succumbit; Thesei enim amicissimi opera prohibetur, quominus sibi ipse manum inferat. Quam omnem ut iam supra diximus perniciem strui videmus in hominem unius deae livore devictum.¹³⁴⁾ Non sicut in Hippolyto occumbit Hercules conscius sibi alicuius delicti ideoque fatum aequa mente sustinens; sed homo innocentissimus opprimitur, contra superum consilia dentibus quasi compressis, ut ait Seneca¹³⁵⁾ de irae affectu. Quam ob rem ego quidem non tam vere illam affectuum excitatorum compositionem eorumque purgationem in ea fabula fieri puto quam excitari animi quandam aegritudinem atque molestiam. Neque enim unquam fiet, ut cernentes virum strenuum et fortem et innocentem succumbentem irae deae alicuius saevissimae in animis voluptatem illam exoriri sentiamus, quae non modo ex affectuum excitatorum ipsa naturali remissione fit, sed poëtae arte atque ingenio i. e. totius fabulae compositione et exitu paranda est.

In Iphigenia Aulidensi contra Schilleri nostri opinionem,¹³⁶⁾

¹³²⁾ v. 849.

¹³³⁾ v. 858.

¹³⁴⁾ v. 1210 ss.:

„ὦ παῖ, κατάσχεθε λέοντος ἀγρίου θυμὸν, ὥς
δρόμον ἐπὶ φόνιον, ἀνόσιον ἐξάγει,
κατὰ θέλων κακοῖς ξυνάψαι, τέκνον.“ conf. v. 1263 ss.

¹³⁵⁾ De ira, I, 1.

¹³⁶⁾ Op. omn. vol. III, adnot. p. 97: „Was Einige hingegen an dem Charakter Iphigeniens tadeln, wäre ich sehr versucht, dem Dichter als einen vorzüglich schönen Zug anzuschreiben: Diese Mischung von Schwäche und Stärke, von Zaghaftigkeit und Heroismus, ist ein wahres und reizendes Gemälde der Natur.“

Iphigeniam puellam versantem modo inter mortis metum, modo inter magnum animi consilium, occumbendi pro patriae salute, egregie esse ab Euripide depictam, facere non possum, quin Aristotelem¹³⁷⁾ rectius in ea re vidisse iudicem. Etenim non verisimile mihi esse videtur, virginem Myrmidonum regi desponsam, cui arrideat dulcissima vitae condicio, ita subito mutari, ut, quum ante ad patris genua provoluta vitam cum miserabili fletu deprecata sit,¹³⁸⁾ brevissimo post cum cupiditate quadam militis instar veterani obeat mortem. Talem subitam animi mutationem contra Schilleri quam supra transscripsimus sententiam non imaginem quandam ingenii ac naturae puellaris pulcherrime expressam intellego, sed artificiosam quandam Euripidis rationem — qua is poëta saepe utitur,¹³⁹⁾ — excitandi misericordiam. Quo studio captus Euripides Iphigeniam nobis facit mortem voluntariam obuentem, qua re et affectum nobis nimis molestum de nece virginis innocentissimae componat ac mitiget et miserentes nos reddat personae, cuius fortitudinem ac magnanimitatem admirari debeamus; voluntaria vero virginis morte etiam metus si non prorsus tollitur, tamen ad rectum, quem habere debeat redigitur modum.¹⁴⁰⁾ Quamvis autem Iphigenia in exitu fabulae virgo esse videatur summae virtutis, tamen animi illam aegritudinem, qua afficimur cum homines innocentes interire videmus, non prorsus ex animis exstirpare poterimus; in Agamemnonem vero, qui latronis instar prae-

¹³⁷⁾ a. p. 1454a 28: „ἔστι δὲ παράδειγμα πονηρίας μὲν ἥθους μὴ ἀναγκαῖον οἶον ὁ Μενέλαος ὃς ἐν τῷ Ὀρέστη, τοῦ δὲ ἀπροεποῦς καὶ μὴ ἀρμότιοντος ὃς τε Θρήνος Ὀδυσσεύς ἐν τῇ Σκύλλῃ καὶ ἡ τῆς Μελανίππης ῥῆσις, τοῦ δὲ ἀνωμάλου ἢ ἐν Αὐλίδι Ἰφιγένεια· οὐδὲν γὰρ ἔοικεν ἢ ἱκετεύουσα τῇ ὑστέρεα.“

¹³⁸⁾ Vid. versus illos pulcherrimos. 1214 ss.:

„Εἰ μὲν τὸν Ὀρφέως εἶχον, ὃ πάτερ, λόγον,
πεῖθειν ἐπάρδουσ', ὥσθ' ὁμαρτεῖν μοι πέτρας,
κηλεῖν τε τοῖς λόγοισιν οὐς ἐβουλόμην,
ἐνταῦθ' ἂν ἦλθον. νῦν δὲ τὰ π' ἐμοῦ σοφᾶ,
δάκρυα παρῆξω· ταῦτα γὰρ δυναίμεθ' ἄν.“

¹³⁹⁾ Conf. Menoecum in Phoenissis, Macariam in Heraclidis, Polyxenam in Hecuba.

¹⁴⁰⁾ Conf. pag. 13, adnot. 51.

dam suam laqueis quasi captat insidiasque struit foedissimas, totam per fabulam odio quam flagrantissimo correptas nos esse oportet.¹⁴¹⁾ Catharsis ergo affectuum ea fabula excitatorum non est talis, qualem iusta efficere debet tragoedia.

Fundendi quidem lacrimas de Iphigeniae sorte calamitosa large fiat licet potestas, at affectus misericordiae vehementer excitatus fabulae exitu neque componitur neque purgatur; deest enim exitus, qui satisfaciat animis spectatorum commotis, qui placare possit indignationem coortam ex caede virginis innocentissimae per patrem insidiosum et fraudulentum. Verba enim Clytaemnestrae:¹⁴²⁾

„Δεινὸς ἄγωνας διὰ σε δεῖ κείνον δραμεῖν“

non valent nobis persuadere, patris interfectoris crudelissimi multo post peracta caede Iphigeniae sortem fieri minus calamitosam ac miserabilem, nam

„panditur ad nullas ianua nigra preces.“¹⁴³⁾

Hecuba fabula utrum una sit an duabus constet ex partibus — adhuc sub iudice lis est. „Oportet igitur,“ inquit Aristoteles,¹⁴⁴⁾ „ut in aliis quae imitantur artibus una imitatio unius rei est, sic etiam fabulam (quoniam est actionis imitatio) et unius esse et huius integrae et partes rerum agendarum sic constare, ut si qua transposita vel ablata fuerit diversum fiat et moveatur totum. Quod enim adiunctum vel ablatum nihil facit momenti, id nulla quoque illius pars est.“¹⁴⁵⁾ Quae philosophi verba si diligentius inspexerimus, et cum Schlegelio¹⁴⁶⁾ et cum G. Hermann¹⁴⁷⁾ contra

¹⁴¹⁾ Conf. pag. 54, adnot. 110.

¹⁴²⁾ v. 1456.

¹⁴³⁾ Propert. V, 11, 2.

¹⁴⁴⁾ a. p. 1451a 30 ss.: „χρὴ οὖν, καθάπερ καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις μιμητικαῖς ἢ μίᾳ μίμησις ἐνός ἐστιν, οὕτω καὶ τὸν μῦθον, ἐπεὶ πράξεως μίμησις ἐστι, μιᾶς τε εἶναι καὶ ταύτης ὅλης, καὶ τὰ μέρη συννεστανάιναι τῶν πραγμάτων οὕτως, ὥστε μετατιθεμένου τινὸς μέρους ἢ ἀφαιρουμένου διαφέρεισθαι καὶ κινεῖσθαι τὸ ὅλον· ὃ γὰρ προσὸν ἢ μὴ προσὸν μηδὲν ποιεῖ ἐπίδηλον, οὐδὲ μόνον τοῦ ὅλου ἐστίν.“

¹⁴⁵⁾ Conf. adnot. 101 pag. 50.

¹⁴⁶⁾ „Über dram. Kunst und Literatur,“ pars I, p. 252.

¹⁴⁷⁾ „Euripidis Hecuba,“ praef. p. XV ss.

I. B. Hutterum¹⁴⁸⁾ et O. Wolterum¹⁴⁹⁾ et N. Wecklein¹⁵⁰⁾ ei fabulae duplex esse argumentum censebimus, quorum utrique cum altero nulla est coniunctio. Aut enim Polyxena non debet mactari aut Polymestor non oculis privari. Cum enim tantum absit, ut aut Hecubae filiae aut Thracum regi ulla in fabula sit communis actio, ut hic occisa demum ac sepulta Polyxena in scaenam prodeat, caussam ego non video, cur unam esse actionem ducamus. An caedes virginis Priameae ulla ex parte cohaeret cum Polymestoris poena? „Hunc,“ inquit N. Wecklein,¹⁵¹⁾ „Hecuba ulciscitur pro filiae nece i. e. quod misera et destituta Priami uxor non valet ulcisci Danaos victores, qui mactarant virginem, sanguine quidem regis pro ea quoque caede sese satiat fibulisque percussoris eruentat pupulas.“ At Polymestor dat poenas Polydori filii occisi, non filiae; an quisquam potest afferre ex fabula aliquem versum, quo Hecuba dicat se Polyxenae quoque caussa a Graecis occisae regem tam crudeli affectuum esse poena? quod quidem idem valeret, ut opinor, ac si quis pastor diceret, se, quoniam leonem qui sibi ovem furto abstulerit, non possit necare, eius bestiae loco felem esse percussurum. Sed omittamus eam rem etsi non medioere habentem momentum ad hanc de recta fabulae compositione et vera affectuum catharsi inde efficienda quaestionem, ut ex Aristotelis ipsius verbis ostendisse nobis videmur,¹⁵²⁾ et quaeramus, quam ratione poëta affectus parare conatus sit. Atque in priore quidem parte caede Polyxenae inprimis misericordia excitatur, altera autem parte, ubi Polydori percussorem conspicimus iustas poenas solventem, gaudium¹⁵³⁾ magis¹⁵⁴⁾ quam metum sive potius horrorem¹⁵⁵⁾ Euripides parare videtur. Quodsi iam in Iphigenia

¹⁴⁸⁾ „Über die Einheit der Handlung in der Hekuba des Euripides,“ Monachi 1836.

¹⁴⁹⁾ „Disp. de Euripidis Hecuba,“ Ilfeld 1852.

¹⁵⁰⁾ Annal, philol. vol. 101. pag. 569 ss.

¹⁵¹⁾ l. c. pag. 570.

¹⁵²⁾ vid. pag. 39, adnot. 76 — 79.

¹⁵³⁾ vid. pag. 35, adnot. 130.

¹⁵⁴⁾ Conf. chori verba v. 1024:

„Οὐπω δέδωκας, ἀλλ' ἔσως δώσεις δίκην.“

¹⁵⁵⁾ Conf. vv. 1056 ss.

diximus Aulidensi,¹⁵⁶⁾ caedem virginis innocentissimae parum nobis secundum Aristotelem¹⁵⁷⁾ videri aptam ad verae misericordiae affectum excitandum et commovere eam magis animi quandam indignationem quam misericordiam, eo molestiae cuiusdam sensu multo etiam magis in Hecuba nos imbui oportet; in illa enim fabula virgo quidem occumbit innocentissima, sed occumbit pro patriae suae salute; in hac vero fabula virginem pro hostis umbra, pro hostium salute ad mortem duci videmus. Puellam ergo quum audiamus lamentantem, quoniam luce privetur dulcissima, matrem deplorantem, quam relinquat omnium mortalium longe miserissimam, nimio misericordiae affectu excitamur neque quidquam postea fit, quo is affectus iterum componatur ac mitigetur. Polymestoris enim punitione non virginis caedes, uti iam supra diximus, luitur, sed Polydori. Quare Polyxena prorsus inulta mactatur innocentissima, quod non miserabile est, sed detestabile.¹⁵⁸⁾

In altera autem tragoediae parte quum pereat homo sicarius, minime commoveri possunt spectantium animi, „φιάνθρωπον γὰρ τοῦτό γε.“ Quae omnia cum spectaverimus, in hunc modum ut opinor de catharsi, qualis fiat in ista tragoedia, nobis erit dicendum: Affectus misericordiae, qui excitatur priore fabulae parte, nimis excitatus fabulae ipsius compositione non iterum componitur et relaxatur. Altera vero parte aut paululum modo aut nullus misericordiae metusque movetur affectus; poena enim hominis scelesti grata esse debet hominibus bene moratis.¹⁵⁹⁾ Fabula ergo Hecuba nequaquam mihi idonea esse videtur ad efficiendam veram catharsin tragicam.

De Electra fabula, quum ea praeter ceteras pertineat ad illas tragoedias, quibus in elaborandis poeta plus aequo dormitasse videtur, pauca modo mihi erunt dicenda. Neque enim intellegere possum qualis fiat in ista fabula catharsis affectuum, quippe qui nulli omnino exeitentur. Una persona, cuius mores certe probare possimus, colonus est Mycenaesus, „ἀνὴρ ἐπιεικής“, „rusticus ab-

¹⁵⁶⁾ Conf. pag. 37.

¹⁵⁷⁾ a. p. 1452 b 36.

¹⁵⁸⁾ Ibid.

¹⁵⁹⁾ Conf. pag. 35 adnot. 130.

normis sapiens crassaque Minerva.¹⁶⁰⁾ Electra vero muliercula fraudulenta eiusque frater Orestes facetus magis quam ingeniosus ac strenuus¹⁶¹⁾ vel minime reddere nos possunt secum sive laetantes sive dolentes. Homines enim sunt parum tragoedia digni. Horrorem quendam excitet fortasse aspectus capitis Aegisthei, quod decus in scaenam adfert Orestes¹⁶²⁾ aut clamores Clytaemnestrae, quam obtruncat filius. Sed eae res¹⁶³⁾ nil pertinent ad catharsin tragicam, fabulae ipsius natura ac compositione efficiendam.

Etiam in fabulis Andromacha, cum Supplicibus et Troasin homines in scaenam producuntur aut pleni fraudum et insidiarum, crudeles, perfidi, periuri, sicuti Hermiona, Menelaus, aut prorsus innocentes, ut Andromacha cum puerulo suo, aut „ab initio ad finem usque iactantur,¹⁶⁴⁾ quod fieri videmus in Supplicibus, praecipue autem in Troasin. Atque in Andromacha exitus is est, qui nullo modo affectum misericordiae, si omnino excitari possit, componere queat. Hermiona enim cum patre suo ne minimas quidem pro scelestis suis consiliis dat poenas, illa nuptum abit, hic Spartam revertitur incolumis ad expugnandum nescio quod oppidum:

„τὴν δ' inquit, ἐπεξελεῖν θέλω
στρατηλατῆσας χυποχείριον λαβεῖν.“¹⁶⁵⁾

Cum Bernhardy^{166a)} puto, Euripidem civibus suis in Menelao et Hermiona magis fidei Punicae i. e. Spartanæ specimen aliquod praeberere voluisse quam eas spectatoribus producere personas quales in tragoedia esse debeant. Andromacha autem et Peleus soli sunt, quorum calamitates misericordiam nobis excitare possint. Atqui

¹⁶⁰⁾ Hor. serm. II, 2, 3.

¹⁶¹⁾ Conf. Schlegeli „Vorlesungen über dramatische Kunst“ etc. I., p. 231; Bernhardy II, pag. 882.

¹⁶²⁾ v. 895.

¹⁶³⁾ a. p. 1453 b 7: „τὸ δὲ διὰ τῆς ὀψεως τοῦτο παρασκευάζειν (φρίττειν καὶ ἐλεεῖν) ἀτεχνώτερον καὶ χορηγίας δεδμενὸν ἐστίν.“

¹⁶⁴⁾ Conf. Ern. Aug. Guil. Graefenhani „Aristot. de a. p.“ etc., p. 137 ss.

¹⁶⁵⁾ v. 735.

^{166a)} „Grundriss der griech. Literatur“, II, p. 872.

caedes Neoptolemi, qua Peleus avus altera parte tragoediae — duae enim sunt fabulae partes ^{166b)} — summo dolore afficitur, extra fabulae argumentum est, lege Aristotelea ¹⁶⁷⁾ plane neglecta, quod idem in Hecuba factum esse vidimus. Fabulae solutio fit sine ullo artis subsidio, sine ullo cum priore actione connexu.

„καὶ μὴν δέδορκα,“ inquit coryphaeus, ¹⁶⁸⁾ *τόνδε Πηλέα πέλας, σπονδῇ τιθέντα δεῦρο γηραιὸν πόδα.*“

Is est transitus, *μετάβασις*, omnis artificii expers non subita et quae praeter spem eveniat mutatio, ex actione aut alia ex causa cum prioribus fabulae rebus arte cohaerente exorta. Liberemur licet una cum Andromacha ex Pelei adventu metus affectu, deponamus licet misericordiam — fit ea affectuum remissio non cum voluptate vere tragica, fit animi levatio quaedam, quae naturae ipsius legibus omnem affectus alicuius excitati relaxationem sequatur, sed non catharsis illa cooritur, quae ex fabulae ipsius arteficiose compositae exitu parat voluptatem illam tragoediae perfectae propriam.

In Supplicibus et Troasin fabulis metum ac misericordiam cieri quidem haud negem: sed cientur ii affectus maxima ex parte ea ratione, quam Aristoteles negat pertinere ad poëtae tragici officium. ¹⁶⁹⁾ In illa tragoedia septem ducum corpora dilaniata in scaenam protrahuntur, ¹⁷⁰⁾ in hac vero Astyanactis pueruli artus dilacerati — ut in Bacchis, conf. pag. 34, adnot. 125 — ab avia cum oratione quam maxime flebili prensantur lacrimisque consperguntur, in fine autem Troia urbs coram spectatoribus flammis ac ruina deletur. ¹⁷¹⁾ Quamvis igitur his duabus fabulis permulta insint pulcherrime a poëta inventa et exornata, ¹⁷²⁾ tamen neutra earum mihi idonea esse videtur ad efficiendam veram affectuum catharsin et ad parandam voluptatem illam cum tali affectuum

^{166b)} Conf. Bernhardyum l. c. adnot. 166.

¹⁶⁷⁾ Conf. pag. 38, adnot. 144.

¹⁶⁸⁾ v. 545.

¹⁶⁹⁾ Conf. pag. 41, adnot. 163.

¹⁷⁰⁾ v. 794.

¹⁷¹⁾ v. 1294 ss.

¹⁷²⁾ Conf. episodium illud in Troasin (v. 308 ss.), quo Cassandra lymphata e tentorio prosiiliens taedasque vibrans ardentes canit Hymenaeum.

purgatione coniunctam, quae non tantum ex naturali eorum remissione ac solutione cooriatur, sed quae ex fabulae ipsius quoque compositione et exitu, ex poëtae tragici arte et ingenio fiat, ut animis commotis una cum remissione ista naturali fiat etiam satisfactio quaedam atque placatio, ex poëtae inquam arte, qua sciat rerum humanarum condicionem si non mortalium animis acceptam reddere, at certe aequa cum mente perferendam.

Venimus nunc ad eas fabulas, quibus est exitus felix, Heraclidas, Iphigeniam Tauricam, Ionem, Helenam, Orestem.

Ex his quinque tragoediis sive potius ex his quattuor, — nam Orestes est tragicomoedia ¹⁷³⁾ — Heraclidas, quamvis habeat felicem exitum, aptissimam esse fabulam duco ad affectus et ciendos et componendos. Quae fabula cum in iis sit numeranda, ubi iam in ipso initio velut in Supplicibus et in Troasin exitum quem habitura sit prospicere animisque tamquam praesagire possimus, huic nimiae actionum simplicitati Euripides mederi studuit inserendo res non necessario cum actione ipsa cohaerentes, nempe necem Macariae in Heraclidis, mortem voluntariam Evadnes in Supplicibus, caedem Astyanactis in Troasin. Qui conatus optime cessit poëtae in Heraclidis. Macaria enim cum sua sponte pro suorum salute sese morti devoveat, vehementer et misericordia et admiratio in animis spectatorum excitatur. Qua in re non sicut in Hecuba aegritudine afficimur, ¹⁷⁴⁾ cum videmus virginem innocentem per vim ad mortem duci salutis causa inimicorum. Pro suis enim occumbit Macaria,

„δίδωμ' ἐκούσα τοῖσδ', ἀναγκασθεῖσα δ' οὐ.“ ¹⁷⁵⁾

Quare affectus misericordiae per fabulae ipsius compositionem placatur idemque placatus purgatur. Nam in nobis ipsis spectantibus et admirantibus virginis animosae virtutem mortisque contemptum cogitandi ac sentiendi rationem liberiores et a vitae communis humilitate remotiores nasci necesse est. Itaque ei fabulae haud mediocrem adtribuo vim ad efficiendam veram catharsin affectuum ex Macariae voluntaria morte.

¹⁷³⁾ Vid. hypoth.: „τὸ δὲ δράμα κωμικωτέρων ἔχει τὴν καταστροφὴν.“ conf. pag. 46.

¹⁷⁴⁾ Conf. quae supra scripsimus pag. 40.

¹⁷⁵⁾ v. 551.

In quattuor fabulis Iphigenia Taurica, Ione, Helena, Oreste, quibus omnibus uti iam supra diximus exitus est felix, Euripides huic vitio succurrere studet agnitionis peripetia, quae in Iphigenia tantum Taurica bene cessit poëtae;¹⁷⁶⁾ in Ione autem,¹⁷⁷⁾ multoque magis in Helena,¹⁷⁸⁾ ne dicam de Oreste,¹⁷⁹⁾ fere omni venustate caret.¹⁸⁰⁾ Quamvis igitur poëta spectatorum excitare animos studeat, inprimis misericordiae commovendo affectu, in Iphigenia Taur. etiam metus — cum soror caedem fratris molitur inscia — tamen istae tragoediae animorum magis sollicitationem quam compositionem efficere mihi videntur. Etenim deest ars illa, qua poëta exitu ipso fabulae sciat satisfacere tamquam spectantium animis commotis, qua sciat non tantum natura, sed suo ipsius ingenio placare atque componere misericordiam et metum i. e. poëtae tragici administrare officium. Solutio fabulae Iphigeniae Tauricae sine ulla arte effecta est; Thoas enim, perfidissime deceptus ob eamque rem rabie et furore correptus,¹⁸¹⁾ per deam illam ex machina Minervam ratione tragoediae natura non satis digna demulcetur, quae quidem solutio multo etiam magis artis est expers quam in Medea fabula. Atqui non nego, multa inesse huic tragoediae pulchre inventa, velut somnium illud, quo Iphigenia commota animum inducit advenas illos, quos esse captos audit, immolare Dianae, quum fratre unico suo solamine sibi erepto concipit contra omnium mortalium genus odium flagrantissimum.

„Ω καρδία τάλαινα,“ inquit, „πρὶν μὲν εἰς ξένους, Γαληνὸς ἦσθα καὶ φιλοκτιρῶν ἀεὶ!“¹⁸²⁾

Hinc in spectantium animis magna anxietas de captivorum vita excitatur. Praecipue est autem peripetia laudanda, qua Orestes agnoscit Iphigeniam sororem suam, sed non item, qua agnoscit sive potius qua agnoscere cogitur Iphigenia Orestem.¹⁸³⁾

¹⁷⁶⁾ a. p. 1452 b 5, at videsis quoque ibid. 1454 b 31.

¹⁷⁷⁾ a. p. 1452 b 34 ss.

¹⁷⁸⁾ Conf. Aristoph. Ran. v. 840 — 844; Thesmophor. v. 850 — 873.

¹⁷⁹⁾ Conf. adnot. 173.

¹⁸⁰⁾ a. p. 1454 b 19.

¹⁸¹⁾ v. 1428 ss.

¹⁸²⁾ v. 344.

¹⁸³⁾ a. p. 1454 b 31.

In Ione vero fabula habemus Ionem ipsum personam quae sit minime tragica:¹⁸⁴⁾ homo est enim anima nimis fere ut ita dicam candida;¹⁸⁵⁾ atque hunc adolescentem ita moratum Euripides inter ipsius convivii delicias in summo mortis periculo facit versantem, quod intendit ei Creusa muliercula, fraudis omniumque artium malarum peritissima; quam veneficam si in exitu fabulae gaudio viderimus exsultantem, cum Aristotele nos quoque dicemus:¹⁸⁶⁾ „οὐτε τοὺς μοχθηροὺς ἐξ εὐτυχίας εἰς εὐτυχίαν — ἀτραγωδοτάτον γὰρ τοῦτ' ἐστὶ πάντων.“

Alterum vitium esse credo in agnitionis ratione atque structura. Habemus enim in Ione agnitionem illam, quam dicit Aristoteles esse prorsus expertem artificii.¹⁸⁷⁾ Pythia enim, relicto tripode fatidico¹⁸⁸⁾ arculam profert, qua Ion matrem suam eat investigatum „per totam Europam et Asiam.“ Qua quidem arcula efficitur agnitio, minime tragoedia bene composita digna. Quae quum ita sint, catharsis affectuum ex fabulae ipsius compositione fieri nulla potest; excitantur quidem affectus, qua autem ratione purgentur poëtae non fuit curae. In Helena autem et Oreste fabulis Euripides mihi, quod pertinet ad fabulae compositionem, non quandoque, sed fere semper dormitasse videtur. Prima enim condicio, qua excitentur affectus, debet esse, ut eiusmodi nobis producantur personae, quarum doloribus et nos dolere, quarum cum lacrimis et nostras miscere possimus. Atqui neque in Helena neque in Oreste videmus eas personas in conspectum prodeuntes, quarum nos similes aut esse aut fieri vehementer cupere debeamus; immo vero, neque Helena illa neque Menelaus eiusmodi sunt, quorum nos facile misereat.¹⁸⁹⁾ Cuius quidem vitii cum probe sibi conscius esset

¹⁸⁴⁾ a. p. 1452 b 34: „πρῶτον μὲν δῆλον ὅτι οὐτε τοὺς ἐπικεῖς ἀνδρας δεῖ μεταβάλλοντας φαίνεσθαι ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν — οὐ γὰρ φοβερόν οὐδὲ ἐλεεινὸν τοῦτο, ἀλλὰ μισρόν ἐστιν.“

¹⁸⁵⁾ Conf. v. 102 — 109, v. 151 ss.

¹⁸⁶⁾ a. p. 1452 b 36.

¹⁸⁷⁾ a. p. 1454 b 19: „Ἀναγνώρισις . . . ἢ διὰ τῶν σημείων . . . ἀτεχνότατον.“

¹⁸⁸⁾ v. 1320 ss.

¹⁸⁹⁾ Videsis Menelai partes in Euripidis ipsis fabulis, ut in Andromacha,

poëta, usque eo processit studii excitandae misericordiae in spectantium animis, ut Menelaum nudum et naufragum, furis et praedonis simillimum in scaenam producere ausus sit.¹⁹⁰⁾ Atque in Helena ne agnitio quidem talis est, qualem esse oportet ad animos commovendos; neque enim Helena Menelaum neque Menelaus Helenam credit mortem iam obiisse, quare offensio quasi fortuita fit magis quam agnitio.

Orestes fabula exitum habet fere comicum.¹⁹¹⁾ Atqui singula episodica a poëta perbene sunt elaborata et ad ciendos affectus aptissima, velut Electrae sororis pietas erga fratrem male aegrotum pulcherrime a poëta expressa est. Quanta cura et sollicitudine virginem audimus esse affectam, ne chori ingredientis orchestram strepitus ex somni dulcissimo lenimine excitet fratrem unice dilectum:

„Σῖγα, σῖγα, λεπτόν ἔχνος ἀρβύλης
τίθετε, μὴ κτυπέιτε.“¹⁹²⁾

Quam terribili modo facit poëta Orestem recidentem in rabiem ac furem, quum advolant deae illae cruentae et anguicomae nec sinunt fieri tranquillum adolescentem calamitosum! Quae quidem res a poëta pulcherrime expressae episodiis quae sequuntur quibusque neque Orestes neque Electra postea se praebent eos, quos dignos habere possimus misericordia nostra, corrumpuntur; non dicam de Menelao, quem nobis poëta de industria produxisse videtur summo fastidio et odio dignum.¹⁹³⁾ Solutione vero omnis artis experti, qua summa rerum perturbatio et confusio subito Apollinis imperiis convertitur in comicam fere et ab omni humana natura prorsus abhorrentem reconciliationem nuptiasque mutuas, minime est tragica: catharsin illam affectuum, quae est tragoediae recte compositae propria, nullam ibi invenio.

Oreste, Iphig. Aul., Troasin; Helenam quoque ab Euripide videre licet pessime descriptam, vid. Orest. 19, ibid. 1140, Troad. 1213, Cycl. 280.

¹⁹⁰⁾ v. 553: „ὄν κλωπὲς ἔσμεν οὐδ' ὑπηρέται κακῶν.“

¹⁹¹⁾ Conf. adnot. 173.

¹⁹²⁾ Schol. ad v. 140: „προσφόρως δὲ τῷ πάθει καὶ ἡ τοῦ ῥυθμοῦ ἀγωγή δογματίζονσα.“

¹⁹³⁾ Conf. pag. 54, adnot. 110.



poëta, usque eo p
tantium animis, u
donis simillimum
Helena ne agnitio
commovendos; ne
lenam credit mort
magis quam agnit

Orestes fabula
episodia a poëta
aptissima, velut El
puleerrime a poë
virginem audimus
strepitus ex somni

„Στ;
τιθα

Quam terribili
ac furorem, quum
sinunt fieri tranqu
res a poëta pulche
busque neque Ores
dignos habere pos
dicam de Menelao
detur summo fastid
artis experti, qua
Apollinis imperiis
natura prorsus ab
minime est tragica
recte compositae p

Oreste, Iphig. Aul., T
sime descriptam, vid.

¹⁹⁰⁾ v. 553: „οὐ

¹⁹¹⁾ Conf. adnot.

¹⁹²⁾ Schol. ad v. 3

ὅτι τοῦ ἀγῶνι δο

¹⁹³⁾ Conf. pag. 54

in spec-
et prae-
Atque in
d animos
elaus He-
ortuita fit

i singula
affectus
negrotum
icitudine
chestram
ilectum:

i rabiem
mae nec
quidem
tur qui-
os, quos
ur; non
disse vi-
o omnis
subito
humana
mutuas,
goediae

icet pes-

ἡ τοῦ

A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19

R

G

B

TIFFEN Gray Scale

W

G

K

C

Y

M

© The Tiffen Company, 2007